

machum firmant, et oblectant. Novi ego, qui cùm aquis abundaret maximè ad salutem et palatum, tamen è patrio fonte aquam sibi iubebat afferri, que tamen sic erat insuavis et crassa, ut nemo illam, nisi extrema urget sitis, appeteret. Sic ergo reor in cisternā Bethlehem nihil meliores esse aquas, quām quae in aliis cisternis è coelestibus pluviis esset collecta; fecit tamen patriæ memoria, et naturalis amor, ut aqua, quae ex patria cisternā hauriretur, multò esset jucundior, multò magis ad stomachum.

Nihilominus placet multò magis illa sententia, quae putat aliud hic desiderare Davidem, significatum in aquā, non aquam ex cisternā Bethlehem; nempē liberare patriam, quam ab hostium præsidioriā cohorte occupari videbat. Quod debere se putabat patriæ, qua illum primū nascentem vidit et à quā habuit spiritum, quem susceptus in lucem intans hauriret, et amori suo, quo illam prosequetur ardenter, quasi molia tenellæ aetatis incunabula, quae mille habent suavitates, quae mirè oblectant, et capiunt indigenarum animos, et officia plurima, quae omnem curam ac studium à civibus non solū exigunt, sed etiam extorquent. Quā de re multa gentiles, tu pauca accipe. De amore in patriam, et quā suaviter capiat indigenarum animos, est illud Ovidii lib. I de Ponto, eleg. 4 :

*Nescio quā natale solum dulcedine cunctos  
Dicit, et immemores non sinit esse sū.  
Quid melius Romā? Scythico quid frigore pejus?  
Huc tamen ex illā barbarus urbe fugit.  
Cum hēnē sint clausæ caveā Pandione natæ,  
Ntitur in sylvas queque redire suas,  
Assuetos tauri saltus, assueta leones,  
Nec feritas illos impedit, antra petunt.*

Quantū quisque è patriæ conspectu atque usu voluptatis capiat, docuit opūmē Cicero lib. I de Oratore, Ulyssis exemplo. *Nostra, inquit, patria delectat, cuius rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponat.* Quantū verò patriæ debeat, docuit idem.

Hoc verò, meo judicio, explicat modus ipse dicendi; cùm enim aliquis aut degere significatur in aliquo loco, aut ad illum aspirat, hoc aliquando declaratur modo: Bibit aquas hujus vel illius fontis aut fluminis; aut ex hoc vel illo fonte, ac flumina potare desiderat. Sic Marq lib. 7 Aeneid., eos qui regionem prope

Fabarim atque Tiberim incolunt, his verbis significat:

*Qui Tiberim Fabarimque bibunt.*

Et eclog. I, eodem sensu dixit:

*Ante pererratis amborum finibus exul*

*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.*

Sic Ovid. epist. Medæ, hoc modo Græci dicuntur venisse Colchos:

*Cur unquam Colchi Magnetida vidimus Argon,  
Turbaque Phasiacam Graia bibistis aquam?*

Martialis in Amphitheatro epig. 3, de populis orientalibus:

*Et qui prima bibit depensi flumina Nili,*

*Et quem supremè Tethys unda ferit.*

Sic ergo nunc desiderat David bibere de cisternā Bethlehem, quia desiderat, depulsis inde Palæstinis, aut habitare ipse tanquam in possessione propriā sine metu atque interpellatore; aut certè efficere, ut cognati, et contribules ibi sine ullā perturbatione atque periculi suspicione vivant. Hæc videtur regio animo digna cogitatio, qui piè dolet de patria ab inimicorum statione possessa, et secum meditatur, quomodo illam suis, suoque populo liberè restituat. Porrò in aquā quæ ex aliquo fluvio, sive fonte portatur, aut terræ gleba, significari possessionem illius regionis unde utrumlibet horum sumptum est, atque ideo aliquid horum à regibus in viâ portari solitum, diximus in nostris Commentariis in Danielem. cap. 8, v. 2.

Neque rationes, quæ contraria suadent, ejus modi sunt, ut ab hac septentriā attentos animos abducant. Militum enim animi non sunt adeò exculti, ut quæ dicuntur obscurius, aut expendant aut eurent; sed quidquid primum acceperunt, confessim arripiunt; et quia ambitionisè à militari virtute gloriam captant, in omne se discrimen sine ullā consideratione conjiciunt. Sanè Persius milites stupidos appellat, idque, ut reor, proverbiali specie, satyrā 3 :

*Hic aliquis de gente hircosâ centurionam*

*Dicat, quid sapio, satis est mihi.*

Et satyrā 5, idem:

*Dixeris hæc inter varicosos centuriones,*

*Continuò crassum ridet Pulsenius.*

Quod verò hoc Davidis desiderium, quasi aliquid esset non virile, et masculæ virtutis, sed muliebre ac molle, per genus femineum

significatur, non nimis hanc sententiam premit in oppositum. Nam omnes fermè, qui hoc dicendi genus attigerunt, aliquid hīe putant subintelligendum ad femineam illam terminationem accommodatum. Pagninus animam intelligit, et ex eo plures alii, idque ex sententiâ etiam Hebreorum lib. 2 Institutionum cap. 3.

VERS. 16. — IRRUPERUNT ERGO TRES FORTES CASTRA PHILISTINORUM, ET HAUSERUNT AQUAM. Vixdū audierant isti viri heroes Davidis vocem, cùm sese ad explendū regis votum expediunt, parati quidvis agere et pati, dummodò regis satisfaciant desiderio, et sibi militarem gloriam captent. Neque quid rex illa voce ac siti significaverit, aut quod esset regis desiderium, expendunt aut rogant; sed caeo prorsū impetu in manifestum se periculum conjiciunt. Cùmque non esset ulla via ab illo præsidio in Bethlehem, nisi per medias inimicorum acies, irrumpunt audacter per intenta tela, et ad cisternam usque integri pervenient, duobus perfuncti periculis, et quod prius à castris, et quod deinde à Philistinorum statione proponebatur. Neque minus ab hoste jam magis attento ac vigilanti in redditum timendum fuit, cùm eadem essent repetenda vestigia, et aliquod præterea afferret impedimentum vas aquā plenum, quod ad regium votum portabatur.

AT ILLE NOLUIT BIBERE, SED LIBAVIT EAM DOMINO<sup>(1)</sup>. Non, credo, putabat rex, ut putat Abul.,

(1) Quare David hic heroicum actum elicit non unius, sed multarum virtutum. Primo, mortificationis; nam, ut ait Angelom., in sacrificio Domini effusa aqua eversa est, quia culpam concupiscentiae mactavit per pœnam reprehensionis suæ. Secundo, bona ædificationis et exempli; nam, ut ait Eucherius, « vicit naturam, ut sitiens non biberet, et exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus disceret sitiū tolerare. » Adit S. Ambr. Apol. I Davidis c. 7. Exercuit etiam subditos ad virtutis officium, ut etiam per pericula regali imperio voluntari milites obtinuerent. Quod autem noluit biberet, declaravit probandorum militum se impetrasse gratiā, non sitiū victim necessitate, prospexisse etiam ne cui regum bibendis usus alienis periculis quereretur. Postremò, pia vulnus conscientiae deprecatum, eō quod aqua tot virorum quæsita sanguine suavitatem bibendi habere non posset, quæ præposita mortis horrore constaret.

Allegoricam causam S. Ambros. ibidem asserat: Sitiebat David, inquit, non aquam de lacu qui est in Bethlehem, sed oriundum ex virginē Christum spiritu prævidebat. Yebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritalis, hoc est, non aquarum

q. 23, futurum quemquam usque adeò audacem ac temerarium, qui per viam tot armatorum hominum millibus impeditam ingressus, in interitum rueret voluntarium. Neque egressentes vidit, neque egressuros putabat, quos, ut opinor, audacissimo conatu cohiberet, cùm periculum esset certum, neque de suā siti ac voto admodum laboraret; et talium virorum, si quid adversum accidisset, jactura esset non levis. Quare ne quis existimaret tam vilem se habere subditorum salutem, ut illam pro re tantulā in discrimen offerret, et ut alii intelligerent, se prorsū ignaro atque invito, allatam esse aquam cum tantorum virorum impendio, exhorruit, ubi illam offerri sibi vidit, non secūs atque si tres illi viri exanimes ad suum conspectum forent adducti. Atque ideo noluit eam bibere, ne videretur illorum potare sanguinem, quem effusisse videri poterat, cùm miraculi instar esset, inter tot tela et armata Philistinorum odia, non fuisse effusum, et animam eruptam.

SED LIBAVIT DOMINO. Libavit David aquam illam, quam libenter potaret, sed libavit Dominum, quasi victimarum obtulisset sanguinem; sic enim ipse interpretabatur, cùm dixit: *Num sanguinem istorum bibam? et animarum periculum?* Quod verissimè dixit sapientissimus princeps. Cùm enim non sanguinis solum milites illi, sed etiam animarum periculum adiissent, non aquam se accepisse interpretabatur David, sed sanguinem et vitam illorum. Hoc est sapientium judicium, qui non donum considerant, sed animum et studium, et quid in re quālibet positum esset impendii. Vile aliquid est, et leve, vas aquæ plenum, sed sanè neque leve est, neque vile pro aliokus voto adiisse sanguinis virtusque discrimen. Quare sanguinem se putabat bibitur David, si aquam biberet tanto emptam, allatamque periculo. Quā in re duo præstitū regio vere animo dignissima David; et quod ab aquā, quam tantopere sitiisse vi-

sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Dominus libavit, significans sitire se Christi sacrificium, non nature fluentum; illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum; illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quereretur alienis, sed pericula aliena depelleret. Eadem ex Ambrosio habet et transcripsit Eucherius, Beda et Angelomus Quocirea Methodus Orat. in Hipapantem, Deiparam ita alloquitur: *Tu Bethlehemita illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem David desideravit, ex quā immortalitatis pœnum cunctis emanavit.*

(Corn. à Lap.)

debatur, abstinuit, quod ejus est, qui suis affectibus securè dominatur; et quòd non vile existimavit donum aliquo exiguum, quia videbat in eo non sanguinem solum, sed etiam animos illorum, à quibus esset oblatum. Quod expendendum esse dicebat Seneca lib. 1 de Beneficiis cap. 6: «Beneficium, inquit, non in eo quod fit aut datur consistit, sed in ipso dantis aufacientis animo» et statim cap. 7: «Nonnunquā magis nos obligat, qui dedit parva magnificē, qui regum aequavit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter, » etc. Neque exiguum fuit præstantis animi documentum temperāsse sibi (si statuamus sermonem hīc esse de aquā poculo), ab eo quod tantoperè appetuisse videbatur. Fecit aliquid simile olim Alexander, ut auctor est Quintus Curtius lib. 7, qui cūm extreñā siti laboraret, oblatam aquam accipere noluit, quia durum putabat, et parū regium, si ipse solus sitim extingueret, aut levaret suam, cūm aliū eo tempore nihil haberent, quo arida p̄s̄ siti corpora reficerent. Tunc, inquit, poculo pleno, sicut oblatum est, reddito: Nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum dividere omnibus possum.

Multa Patres de hāc aquā non haustā à Davide, sed libatā Deo. Vide Ambrosium lib. 1 de Jacob et vītā beatā, cap. 1; Chrysost. in Psal. 50. Vides quomodo David castigatus de priori concupiscentiā, postmodū cautor est factus: et qui corpus adamaverat, aquam desideratam et necessariam, et sitiens bibere noluit, et victor sui factus est. Vide Nazianzenum oratione de pauperum amore, et Gregorium latē in Registro lib. 9, epist. 59: «David, inquit, qui alienam uxorem tulerat, et pro sua culpā valde fuerat flagellatus, aquam bibere longè post de Bethleemiticā cisternā voluit, quam cūm ei fortissimi milites detulissent, bibere noluit, camque fundendo Dominō libavit; licebat enim bibere, si voluisset, sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter abstinebat; et qui prius proculpa suā morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodū si aquam bibet, etiam viventium militum sanguinem se fuisse judicavit.»

Ex hoc loco colligunt aliqui sacrificium, et libamina fieri posse ex aquā purā, tametsi de hujusmodi aquā nihil in Scripturā proditum habeamus. Quod confirmari potest ex lib. 1, cap. 7, v. 6: Convenerunt in Maspheath, hauseuntque aquam, et effuderunt in conspectu

*Domini. Plura nos ibi de aquā effusa, quæ tu vide. (1)*

VERS. 18. — ABISAI QUOQUE FRATER JOAELIUS SARVÆ PRINCIPS ERAT ē TRIBUS. Quiām fuerint hi tres, quorum princeps dicitur Abisai, obscurum est: illud mihi certum, non esse tres illos, qui in primo robustorum ordine numerati sunt. Certum, præterea mihi, tres illos esse, de quibus proxime, qui aquam de cisternā haustam ad regem detulerunt. Qui verò fuerint ali duο, non facile exploratu est. Quidam ex illis esse opinantur, qui cap. 21, in variis præliis quatuor filios Arapha gigantea molis occiderunt, quorum nōs hīc Abisai, de quo nobis hīc sermo, qui interfecto Jesibenob deficiente regem liberavit ab acer et impavidus, duos alios ad præclarum illud opus invitavit, non tamen ad tres illos pervenit, qui in primo robustorum ordine numerati sunt.

VERS. 19. — SED USQUE AD TRES PRIMOS NON PERVENERAT. Cūm tantus esset Abisai, et horum trium princeps, qui fortasse, ut erat homo acer et impavidus, duos alios ad præclarum illud opus invitavit, non tamen ad tres illos pervenit, qui in primo robustorum ordine numerati sunt.

VERS. 20. — ET BANAIAES FILIUS JOIADÆ VIRI FORTISSIMI MAGNORUM OPERUM. Hic Banaias à quibusdam existimatur unus ē tribus, qui aquam hauserunt et attulerunt ē cisternā; quod mihi verisimilius est. Alii extra has tres robustorum classes statuunt, et seorsum ab aliis censeri putant. Quā de re nihil ego definio, licet mihi prior sententia magis arrideat. Hic porrò filius dicitur Joiadæ viri robustissimi, cuius virtutem et exemplar in suis moribus ac studiis expressit Banaias. An verò Joiada pater, an Banaias filius vir fuerit magnorum operum, id est, qui præclara edidit suæ virtutis ac roboris argumenta, obseurum est; neque enim hoc magis videtur ad patrem, quā ad filium pertinere. Inclino tamen magis in Abulensis sententiam, qui q. 26, magna illa opera Joiadæ parenti attribuit; quod optimè consentit cum viri fortissimi appellatione. Quod explicatur magis lib. 1 Paralip. cap. 11, v. 22: *Banaias filius Joiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrārat.* Illud, qui, id videatur respicere, quod antecessit proximè.

IPSE EST, QUI LEVAVIT HASTAM SUAM CONTRA TRECENTOS, QUOS INTERFECIT. Quando hæc acciderint, non constat; forsitan tunc accidit, quando quatuor bella ultima contra Philistæos secunda gessit David; aut quando lib. 2, cap. 5, bis contra illos à Davide pugnatum est. Neque constat, an uno tantum congressu, vel pluribus, diversisque temporibus trecentos occiderit; ad utrumque enim et textus patet, et littera trahi posse videtur non difficulte: suum tamen cuique judicium liberum relinqu. Nunc ad illud egregium factum de aquā per media inimicorum tela reportatā, quod cum duobus aliis commune fuit; hoc præterea additur militaris virtutis illustre documentum, quòd tantam hostium multitudinem aut uno, aut pluribus congressibus pugnando sustulerit. Quām fuerit Abisai strenuus, et ad quidlibet audendum impavidus, ipse ostendit lib. 1, cap. 26,

(1) VERS. 17. — NUM SANGUINEM HOMINUM ISTORUM BIBAM? Bibam ex hoc latice, qui cum periculo vita haustus est? Usurpari solet, bibere sanguinem ei sudorem populorum, pro diripere eorum bona, atque laboribus eorum disterere, aliis auferre quæ cum periculo vitæ et labore manuum sibi compararunt.

(Calmet.)

v. 6; cūm enim David in castra Saūlis vellet descendere, quo tempore in Davidis ipsius interitum ardentiū anhelaret, diceretque: *Quis descendet mecum ad Saūl in castra?* ex omnibus, qui tunc aderant, dixit Abisai: *Ego descendam tecum;* et cūm ventum esset ad Saūlis castra, dixit idem: *Perfidiam eum (Saūlem) lanceā in terrā semel, et secundò opus non erit.*

VERS. 19. — SED USQUE AD TRES PRIMOS NON PERVENERAT. Cūm tantus esset Abisai, et horum trium princeps, qui fortasse, ut erat homo acer et impavidus, duos alios ad præclarum illud opus invitavit, non tamen ad tres illos pervenit, qui in primo robustorum ordine numerati sunt.

VERS. 20. — ET BANAIAES FILIUS JOIADÆ VIRI FORTISSIMI MAGNORUM OPERUM. Hic Banaias à quibusdam existimatur unus ē tribus, qui aquam hauserunt et attulerunt ē cisternā; quod mihi verisimilius est. Alii extra has tres robustorum classes statuunt, et seorsum ab aliis censeri putant. Quā de re nihil ego definio, licet mihi prior sententia magis arrideat. Hic porrò filius dicitur Joiadæ viri robustissimi, cuius virtutem et exemplar in suis moribus ac studiis expressit Banaias. An verò Joiada pater, an Banaias filius vir fuerit magnorum operum, id est, qui præclara edidit suæ virtutis ac roboris argumenta, obseurum est; neque enim hoc magis videtur ad patrem, quā ad filium pertinere. Inclino tamen magis in Abulensis sententiam, qui q. 26, magna illa opera Joiadæ parenti attribuit; quod optimè consentit cum viri fortissimi appellatione. Quod explicatur magis lib. 1 Paralip. cap. 11, v. 22: *Banaias filius Joiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrārat.* Illud, qui, id videatur respicere, quod antecessit proximè.

IPSE PERCUSSIT DUOS LEONES MOAB. In lib. 1 Paralip. cap. 11: *Duos Ariel Moab.* Sed est omnino idem; nam Ariel leonem significat Dei, id est, leonem præserocem, et inusitatæ magnitudinis. Id enim valet Dei nomen rebus adjunctum; quo modo *montes Dei*, montes sunt altissimi, et molis ingentis; et *cedri Dei* illæ dicuntur, quæ proceritatis sunt eximiae. Sic etiam *leones Dei* illi vocantur, qui ad magnitudinem corporis, ferocitatem quoque magnam addiderunt. Hi duo leones, ut ex Hebraeorum sententia refert Hieronymus, fuerunt duo viri potentissimi, qui subsilio venerunt Moabit, quo tempore illos oppugnabat David. Josephus duos hos Moabitæ fratres fuisse tradit, à quibus provocatus Banaias utrumque confecit.

S. S. X.

Hæbreorum, Josephique sententiae nonnulli ex nostris adhæserunt, in quibus est *Lyra*, *Cajetus* et *Glossa*, et Historia scholastica. Sed placet quod visum est Abulensi q. 26, nullam videlicet hic esse metaphoram, sed esse veros, propriosque leones, quos tunc interfecit Banaias, quando cum Moabitæ à Davide pugnatum est. Neque oportet ad sensus confugere metaphoricos, quando verborum proprietas sensum sine ullā translatione directum admittit. Fortasse leones illi, quos alunt Moabitæ sylvæ, magis sunt quām alii et naturā feroes et vasti corpore; sicut leones Punici sæviores sunt ac robusti magis, quām quos alit India et regiones aliae, quibus et solis major est amoenitas, et cœli magis amica temperies, ut docet Conradus Gesnerus titulo de leone lib. 1, ex Alberto, et Avicennā, ubi tradit leones, qui generantur in terrā Coratenorum, præcipue apud Iconium, ferociores esse iis qui austrum et meridiem versus gignuntur. Sanè Aristoteles lib. 8 de histor. Animal. cap. 28, animalium differentiam pro locorum varietate maximam esse dicit, ubi aliquid de leonibus. Quare qui leones dixit Moabiticos, leones dixit truculentos, quos omnino venabulo conficere et magnarum est virium, et insignis audaciæ. Quid sit *Ariel*, quod leonum loco legimus lib. 1 Paral., diximus pluribus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 22: *Væ Ariel, Ariel!* Inde pete.

ET IPSE DESCENDIT, ET PERCUSSIT LEONEM IN MEDIA CISTERNA IN DIEBUS NIVIS. Aliud nunc Banaias magnum opus proponitur, quod à loco et tempore sacer historicus amplificat. Quomodo verò res acciderit, refert Josephus, et ex eo plerique alii. Cūm enim, inquit, ningeret, leo in quemdam puteum illapsus est, cuius os, quod angustum esset, videbat brevi fore ut id nivibus oppleretur. Atque ideo deplorato exitu et salute, rugire cœpit. Banaias autem forte fortunā iter faciens accurrit ad rugitum bestiæ, et cūm descendisset in puteum, repugnante itu baculi, quem gerebat, exanimavit. Quidam dicunt leones tempore frigoris ac nivis ferociores esse, et ex eo Banaias virtutem commendari magis. An id verum sit, alii viderint; ego potius hyemale hoc, et nivis tempus notari arbitror, quod minùs erat Banaias ad pugnandum idoneum, cūm contracta membra minùs sint apta ad arma tractanda, id est, in sylvis, ubi nullum est ad fovendum frigidum et contractum corpus adjumentum. Minùs à frigore pati leones, quām homines,

15